



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Theosophia vt in pace & silentio acquiratur

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

Sed mundi sapientia semper alio respicit: vtpote innumeris astricta modis, ca-
sibus, temporibus, generibus, numeris, & significandi rationibus: & vt plurimum
non nisi ob humanas laudes, ob honores & dignitates appetitur, quæ omnia vana
sunt, & sui sectatores vanissimos efficiunt.

Theosophia quoniam discatur.

Christiana sapientia & contemplatio, verissima est: vt quàm Dens ipse (qui
summa veritas est, nec errare potest) edocet: disciturq; in Verbo æterno (seu
in codice) quod nimirum est veritas per essentiam, vnde quicquid in eo dis-
citur, incommutabile, infallibile, & inconuertibile est.

At mundi fallax sapientia, multa habet vana, commentitia & erroris plena: si-
quidem ab hominibus mendacio obnoxij traditur: per rationem naturalem in
multis hallucinantem obtinetur: in codicibus (multa complectentibus ficta, am-
bigua, falsa, ac facta) reperitur.

Itaque non solum est incommutabilis, sed etiam destruenda, quatenus menda-
cij nititur.

Theosophiam acquirendi modus.

Christiana sapientia, & vera contemplatio, inter scientias omnes facillima
est. Discitur enim suspensis actibus sensuum & intellectus, quia in caligine Luc. 10.
Diuinâ eam beatissima Maria Magdalena (ad pedes Domini Iesu sedens
quieta, hausit auidissimè: nihil morata, quod soror Martha eam desidia incusaret
apud Dominum, qui eam optimam delegasse partem affirmavit.

Porro mundi sapientia multis & sensuum, & phantasie & memoriæ ac intel-
lectus laboribus vix acquiritur, etiam longissimo temporis interuallo. Probant
hoc innumeri Philosophorum atque omnis generis artium professorum casus
inanesq; labores, qui post detritam in eiusmodi studijs ætatem, secundum Acade-
micos hoc solum se scire fatentur, quod nihil sciunt. Qui si eam ponerent operam in
perdiscendâ ac obrinendâ mysticæ Theologiæ sapientiâ, breui ad summam per-
tingerent perfectionem, & veri admirandiq; contemplatores efficerentur.

Theosophia vt in pace & silentio acquiratur.

Christiana sapientia præ cæteris scientijs summè pacifica est. Discitur enim Iacob. 1.
cunctarum virium animæ, (quæ apprehensivæ vocantur,) silentio, & in pace
animæ: cum Deo amat, fouet, parit ac tuetur pace. Ed pertinet sententia il-
la Prophetæ regij: *In pace*, id est, silentio omnium virium apprehensivarum, Psal. 4.
dominiam per contemplationem, & *requiescam* per desiderij expletionem & consola-
tionem.

Mundi verò sapientia pugna est & contentiosa: Obtinetur enim per dispu-
tationum conflictus, & ad lites ac concertationes prouocat, fouetq; & nutrit dis-
cordiam inter sui professores, vt probas *Apost. 11. ad Timot. 11.* Vide sectas Philoso- 2. Tim. 2.
phorum, quàm inter se pugnent, quàm sint diuersæ ac pugnant inter illas opi-
niones, nec inter eos duntaxat, sed etiam Christianos, (humanæ sapientiæ addi-
ctos) dum alij hac vel illa opinione ducuntur.